

### Quæstio III. Quòd Ecclesia sit Sancta.

85. Vnam hanc Ecclesiam, Confessio nostra sanctam etiam perhibet, rursus Symbolici Apostolici secuta tenorem, ubi credere nos profiteamur, Sanctam Ecclesiam.

86. Dicitur autem Sancta, i. propter imputatam sanctitatem justitiæ Christi, qui, Apostolo teste, factus nobis est à DEO patre, uti justitia, sapientia, redemptio, ita & sanctificatio. 1. Cor. 1, 30. quiq; sanctificat Ecclesiam ac mundat eam lava-  
cro aquæ per verbum. Ephes. 5, 26.

87. Deinde Sancta etiam nominatur, propter renovationem mentis nostræ, sive novam obedientiam, & inherentem sanctitatem excitatam per Spiritum Sanctum: Quæ licet hac in vita sit imperfecta, mutila ac manca, multisq; subinde infirmitatibus peccati obnoxia: tegitur tamen innocentia & sanctitate Christi, donec tandem in altera vita ad plenum perficiatur & consummetur.

88. Sanctitatis hujus respectu Ecclesia in scripturis multis illustribus elogijs ornatur, ut quod dicitur, sponsa filij DEI, 2 Cor. 11, 2. Domus spiritualis, Hebr. 3, 6, 1. Pet. 2, 5. Sacerdotium sanctum, 1. Pet. 2, 5. Domus DEI vivi. 1. Tim. 3, 15. Concilium Sanctorum, Psal. 89, 8. Tabernaculum